



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

27. S. Joannes Evangelista

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

stolorum: *in Domino.* Mors piè viventium
 somno est similior; quia tunc belli finis, & pa-
 cis initium. O fili! an non & nos desideranter
 ingemiscimus; *Moriatur anima mea morte ju-
 storum!*

Instructio meritoria.

Dabitur, si vivamus, si laboremus, si & patia-
 mur ut Justì. Igitur pactum faciamus cum
 omnibus Sanctis in cœlo triumphantibus, saltem
 semel in septimana recitandi *Lytanias de Illis*, ut
 vel hoc fœdere nobiscum vivant inter hujus sæ-
 culi miserias, & varietates: & tandem à lectu-
 lo mortis feliciter, suaviterque deducant ad op-
 tatam patriam. Notemus & Divi Augusti-
 ni Doctrinam: *Mori malè times, & malè vi-
 vere non times. Corrige malè vivere, time malè
 mori: Sed noli timere: Non potest malè mori,
 qui vixerit bene.* Id quod nobis tribuant Superi!

Festum S. Joannis Evangelistæ Discipuli
 Christo amicissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Hic est discipulus, quem diligebat Jesus. Cur
 dilexit præ cæteris? Quia Virgo electus à
 Christo, Virgo in ævum permansit. O Fili!
 quò plus cordis amaverimus puritatem, & mun-
 ditiem, eò plus crescimus in amicitia cum Chri-
 sto. Puritas cor possidentis lætificat, & animæ
 ad cælestia alas addit; passiones minuit, & ani-
 mum à turbationibus protegit; justos illumi-
 nat, & diabolo offundit tenebras. Beatus, qui
 sic

712 XXVII. Decembris. S. Joannis Evang.

sic permanserit, nec aliud ad cor admiserit, nisi solum Dominum Jesum Christum. Hunc eligamus, dilecte! *qui, cum omnia fuerint subtracta, solus servabit fidem in die sepultura nostra.* S. Bernardus.

Instructio meritoria.

Eligamus in specialem castitatis Patronum S. Joannem Evangelistam, eumque singulis diebus martis (qui alias sacri sunt Consanguinitati Jesu, Mariæ, & Josephi) *tribus Pater, & Ave* veneremur, addendo *ψ. ora pro nobis S. Joannes Evangelista &c.* & collectam ex hodierno festo, quæ incipit: *Ecclesiam tuam Domine benignus illustra &c.* Non est terra oblivionis, quam anima Joannis inhabitat, cœlum est. Nunquid cœlestis habitatio animas indurat, aut memoriâ privat, aut spoliât pietate? S. Bern.

II.

B. Joannes tam graphicè expressit Jesum, ut alter fuerit filius Mariæ. Chare! possumus & nos. Possumus in oculis per modestiam, in ore per taciturnitatem, & mansuetudinem, in manibus & corpore per Christianam gravitatem, & prudentiam. Ut fiat, lex jubet amicitia cum Christo. Hinc Seneca: *Ea est jucundissima amicitia, quam similitudo morum conjunxit.*

Instructio meritoria.

Sit ergo hodierna conversatio cum hominibus rara. Cum Christo, cum Maria, & S. Joanne Evang. aliisque cœlitibus sanctis in templo, in pia recollectione esse satagamus; In hunc finem

finem post quamlibet refectionem, vel recreationem pergamus ad ecclesiam, *(novem Pater, & Ave)* in honorem totius SS. Consanguinitatis Jesu offerendò. *Vera amicitia tantum inter bonos oritur, inter meliores proficit, inter optimos, & sanctos consummatur.* Cassiod.

III.

Sic cum volo manere, donec veniam, ait Christus de Joanne. Ut vel inde disceremus, non satis esse per aliquot dies vivere nos justos, humiles, & castos. Perseverantia coronat opus. *Multò melius est, non coepisse, quàm in bono non perseverasse.* S. Aug. *currite fratres* (clamat Bernardus) *tota curia coelestis nos expectat.* Fiat!

Instructio meritoria.

Pro gratia finali quàm modicum egimus, dilecte fili! satisfaciamus, & imposterum pro conservatione illius quotidie *Lytanias Lauretanas* persolvamus; Singulis verò mensibùs unam certam eligamus diem, in qua præmissa S. Confessione sacramentalem Communionem cum cæteris diei operibus SSS. Trinitati ad stabilendam nobis agonizantibus finalem gratiam offeramus. *Recitemus psalmum: Confitemini Domino; quoniam bonus.* Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. *Certè modicum seminis incrementum non modica messis multiplicatio est.* S. Bern.

Festum